



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. V. De Pulchritudine Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

auara non capiuntur infinita liberalitate mea? Usquequo non benè sentient de me filij Adæ, & saltem ob munera Regem Ierusalem non amabunt? Ego subieci omnia sub pedibus vestris, vt nõ, solum terra, sed & sol, luna, & cæli Coelorum, opera digitorum meorum, seruirent vobis, paratus, (si hæc parua vobis videantur) dare quoque maiora: quare ergo non mouemini muneribus, & diligitis amplissimas opes vestras? Filij mei, duri corde, respiscite, & infinita liberalitate mea emolliri vos finite: nam, & feræ hac lege mansuescerent. Sequimini me, & cultum magni nominis mei, fiduciæ principum mortalium anteponte: & ego faciã vobis in Israel domos absque tributo. Multiplicabitur hæreditas Domini: & cõfecto vitæ cursu, ascendetis ad me de terra deserta, diuitiis, & castissimis delitiis affluentes, onerati spoliis dulcissimæ charitatis meæ.

CAP. V.

*De Pulchritudine Christi.*

**E**XPERIMENTO cognouistis,  
charissimi filij, nihil esse amabilius

quandam admirabilem, qua efficaciter, & suauiter corda capit. Huic omnes principes terræ sponte seruiunt, etsi potentes, & fortes sint: quia fortior est pulchritudo. Cùm ergo ego Vnigenitus Dei filius decorem indutus sim, & nihil in me inueniri possit, quod amabilissimam, & infinita suauitate præstantem formam non deceat; mirum est, quomodo vniuersi homines me non ardentissimè diligant, & fortissimè adhæreat anima eorū post me. Sum candidus, & rubicundus, electus ex millibus & summis desideriis non solum à filiabus Ierusalem, sed à Virginibus Tyri expetitus, propter absolutissimum decorem, & honestatem meam. Filiæ Regum, in honore meo, me studiosissimè requirūt: & nobilior christiani populi pars, quæ puellis speciosissimis, & adolescentibus formam elegantissimam præditis constat, cum alto mundi contemptu, me secuta est. Nō enim solū forma Dei, qua spiritus beati, animæque gloriosæ capiuntur, sed forma hominis, quam pro vobis assumpsi, dulcissima pulchritudine, corda

corda casta suspendit; & omnem mundi gratiam contemptibilem facit. Si semel aspiceretis, filij, candorem purissimum corporis mei, quo vestri oculi corporei in ciuitate primogenita, delectandi sunt; dicto, citius, sperneretis omnem carnis venustatem, quæ filiis huius sæculi, super diuitias, & honores, amabilis, suauisque videtur, Omnia corda decor ille |vultus| mei, quæ reginæ cupierunt, emolliret & vel vno oculorum meorum viscera vestra vulnerarem. Cogitate si valetis Maiestatem meam, & staturam illam assumulatam palmæ, quæ eminent super choros Angelorū, dum filius hominis, speciosus forma, sedet à dexteris Dei. Extollite corda in spectaculum illud, quod post labores, & sudores inæstimabili cum voluptate, visuri estis, vt lætemini, & satiemini castissimis delitiis meis. Quid moramini, filij? curritis post me tracti ineffabili gratia, & suauitate mea? Detestamini consortia liarum Moab, & Sidoniarum connubia prohibita vitate, diligite serenitatem Cœli, & formam meam candidissimam,

simam, & splendidissimam, qua nihil dulcius, & delectabilius cogitari potest, seraphicis ardoribus amate. Et ego Cælo serenior, & sole formosior, ero delitiosissima præda vestra.

## CAP. VI.

*De suavitate communicationis Christi.*

**S**VAVITAS conuersationis filij, charissimi, studiosissimè desiderari, & amari solet, & hæc ratio est, ob quam homines quantumuis deformes, in magno pretio habentur. Trahunt enim dulcedine mirabili alios, dum loquuntur, & cum eis versantur, quod experientia notissimum est. Si ergo hæc est hominum conditio, quid est, quod me, cuius conuersatio melle dulcior est, paucissimi filij Adæ requirunt? Ego mitissimè recipio omnes venientes ad me: & à sæculo non est auditum, quod aliquem mihi adherere cupientem repellerem, vel importunitate molestarer. Ego cum infinita lenitate tracto, quos recepi, & illos benignissimè recreo. Ego dum loquor eis ad cor statuo procellas eorum in auram, & tristitiam omnem